



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum actus exteriores secundum se, & immediatè sint boni, vel  
mali moraliter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Probatur, Hæc largitio eleëmofynæ est bona, non solum secundum se, sed etiam quia ex bona voluntate proficitur tamquã eius complementum. Et furtum est malum, non solum per se, sed quia malæ voluntatis est germen. Quod confirmatur, quia talis mala voluntas inficeret opus etiam secundum se indifferens, communicando ei suam malitiam: cur non etiam inficiat opus malum? Non enim malitia operis quam per se habet, impedit quin malitia voluntatis possit ei communicari.

*Obiectio.* Dices, Malitia quam opus externum secundum se habet, deriuatur in actum internum voluntatis: ergo fieri nequit vt malitia actus interni deriuetur in opus externum: esset enim circularis deriuatio, in qua idem esset sibi causa & effectus.

*Soluitur.* Respondeo Negando Consequentiam, Quia ex actu externo deriuatur malitia in actum internum, tamquam ex obiecto habente esse in apprehensione intellectus ante actum internum: ex interno verò deriuatur in externum, tamquam ex causa efficiente in effectum. Neque hoc mirum videri debet; quia efficiens & finis sunt sibi vicissim causa. Imò finis vt est in apprehensione, est sibi ipsi causa, vt est in rerum natura. Simile videmus in artibus, quæ omnes efficiunt sua obiecta.

*7* Ex his patet, bonum & malum primò inueniri in obiectis, siue illa obiecta sint actus externi, vt dare eleëmofynam, furari, &c. Siue res aliqua, vt bonum Dei vel proximi: Siue priuationes, vt malum Dei & proximi. Secundò, Ex obiecto deriuari in actum voluntatis. Tertiò, Ex actu voluntatis in opus externum, quatenus est in executione. Itaque prius naturã voluntas habet bonitatem vel malitiam suam, quam actus externus, vt est in executione, habeat suam. Quamuis idem actus vt est in apprehensione intellectus, prius naturã habeat suam bonitatem vel malitiam, quam voluntas suam.

*Bonum & malum primò inueniuntur in obiectis, secundò in actu voluntatis, tertio in opere externo.*

DVBIVM II.

*Vtrum actus exteriores secundum se & immediate sint boni vel mali moraliter?*

*8* *Sententia quorundam.* Vidam putant actus externos secundum se esse formaliter malos, nullos tamen secundum se, esse formaliter bonos, sed habere hanc bonitatem formalem ab actu interno. Ratio est, Quia vt actus exterior sit peccatum, non requiritur vt aliquo actu interno sit expressè volutus; sed sufficit voluntas implicita, quæ potest esse absque omni actu reali voluntatis: ergo actus exterior non habet malitiam formalem ab actu interno. Vt autem actus exterior sit formaliter bonus, requiritur vt sit expressè volutus, idque propter bonum virtutis. Vt patet suprã qu. 18. art. 2. dub. 4. & qu. 19. art. 3. dub. 2.

*Sententia Medina.* Medina verò art. 3. huius questionis docet, non solum quosdam actus externos secundum se esse formaliter malos, sed etiam quosdam esse formaliter bonos. Sunt enim triplices actus externi (id est, non elicti à voluntate.) Quidam sunt intellectus, alij appetitus sensitui, alij potentia exequentis per membra corporis. Actus

*Sententia Medina.*

*Actus externus est triplex.*

potentia exequentis fatetur non esse secundum se formaliter bonos vel malos, eò quòd in ipsis nulla sit libertas. Actus tamen intellectus & appetitus sensitui, vult per se esse bonos vel malos formaliter; quia non solum velle credere, & velle vouere est bonum; sed etiam ipsum credere, & ipsum vouere per se bonum est. Neque solum velle errare contra fidem, & velle temere iudicare est malum; sed etiam ipse error, & temerarium iudicium, formaliter malum est. Ratio ipsius est; quia his actibus secundum se competit ratio voluntarij.

Pro solutione. Notandum, Actum dupliciter dici bonum vel malum, obiectiue & formaliter. *Actus dupliciter dicitur bonus obiectiue & formaliter.* Obiectiue bonus dicitur, qui secundum se dignus est vt appetatur & fiat ab homine ratione vtente; vt largitio externa eleëmofynæ. Formaliter bonus dicitur, qui secundum se & immediatè est laude dignus; redditque hominem laude dignum; siue qui liberè tendit in obiectum honestum, quã honestum; vt affectus dandi eleëmofynam. Obiectiue malus dicitur, qui secundum se talis est vt non possit secundum rectam rationem appeti, vel fieri ab homine ratione vtente; vt sunt prauus motus concupiscentiæ, furta, &c. Formaliter malus dicitur, qui per se immediatè reddit hominem vituperio dignum, siue qui liberè tendit in obiectum rationi repugnans. His positis

Dico Primò, Nullus actus externus secundum se seu immediatè habet formaliter bonitatem vel malitiam moralem. Est communis Doctorum. Durandi in 2. dist. 42. quæst. 1. nu. 6. & 7. Occam Quodlib. 1. quæst. 20. & alibi. Gabriel in 2. dist. 42. art. 1.

Probatur Primò, Quia nullus actus externus secundum se seu immediatè habet esse liberum, sed solum mediante actu voluntatis: atqui esse liberum est necessarium ad bonitatem vel malitiam moralem formaliter: ergo.

Secundò, Nullus actus exterior secundum se, reddit hominem laude vel vituperio dignum, sed hoc totum habet ab actu libero voluntatis.

Tertiò, Etsi vt actus exterior sit malus, non requiratur actus interior explicitus, requiritur tamen actus interpretatiuus, id est, tacitus consensus, in quo est tota culpa, torumque demeritum. Nec refert, quòd hic tacitus consensus non sit aliquid reale: sufficit vt sit aliquid morale. Si enim in nuda omissione potest esse culpa, & quidem primariò, cur non etiam in consensu interpretatiuo?

Dices, Actus exterior non habet malitiam à libertate, non enim ideò malus est, quia liberè fit: ergo à seipso: Libertas autem est solum conditio quædam.

Respondeo, Etsi non habeat malitiam obiectiuam & fundamentalem à libertate, habet tamen malitiam formalem; quia non est vituperio vel supplicio dignus, nisi ratione libertatis.

Quod verò Medina excipit actus intellectus, & appetitus sensitui, sine ratione facit: Nam eadem omnino est ratio actuum potentia exequentis, atque intellectus & appetitus inferioris. Nulli enim actus sunt liberi nisi per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis; vt patet ex dictis suprã quæst. 6. art. 2. Nam à suis potentijs necessariò procedunt, positis omnibus prærequisitis.

*Experientia insecam.*

*9* *Actus dupliciter dicitur bonus obiectiue & formaliter.*

*10* *Nullus actus exterior secundum se est formaliter bonus bonitate morali.*

*Actus exterior habet malitiam formalem à libertate.*

*11* *Medina res soluitur.*

*Actus intellectus & appetitus sensitui sunt liberi nisi per denominationem extrinsecam.*



Experientiâ etiam constat, credere, iudicare, & motus appetitus non esse magis voluntarios aut in nostra potestate, quam motus membrorum: quin potius motus membrorum esse magis in potestate; quia membra ad nutum obediunt, non autem appetitus sensitiuus, vt supra qu. 17. Hinc fit vt credere non sit meritorium vel laudabile, nisi ratione voluntatis credendi. Neque temerè iudicare vel errare in fide, esse demeritorium, nisi ratione voluntatis, quâ hæc expressè vel implicite sunt volita.

Dico Secundo, Actus tamen externi secundum se habent bonitatem vel malitiam obiectiuam. Patet ex notatione supra posita num. 9. Solum notandum, hanc bonitatem vel malitiam prius conuenire actibus externis, quam bonitas formalis actibus internis; quia obiecta sunt priora ratione, quam actus quorum sunt obiecta.

Dico Tertio, Actus externi non solum vt obiecta habent per se bonitatem vel malitiam, sed etiâ vt actus, seu vt fiunt in executione. Verum hæc bonitas & malitia non est distincta à bonitate & malitia obiectiuâ, estque solum materialiter moralis, non autem formaliter.

Probat, Quia furari non tantum est malum obiectum, quod non liceat appetere, sed etiam est malus actus; quia ab homine ratione vteute non potest nisi male fieri. Quod autem hæc malitia solum sit materialis in genere moris, patet: nam in amente non esset, nisi materiale peccatum, tamè in amente habet omnia, qua ipsi secundum se competunt. Nec obstat quod actus externi sint conformes vel difformes rationi; quia hinc tantum sequitur quod secundum se sint boni vel mali obiectiuè & materialiter: hæc enim conformitas & difformitas non est per se laude vel vituperio digna, sed solum ratione actus voluntatis, à qua pendet & moraliter informatur.

Dices Primo, Actus externi secundum se prohibentur legibus, non solum humanis, sed etiam diuinis; vt, non furtum facies, &c: ergo secundum se habent malitiam moralem. Consequenter patet, quia sicut leges non puniunt nisi malitiam moralem, ita neque prohibent.

Respondeo, Actus exteriores prohiberi quidem secundum se, id est, non tantum ratione male voluntatis, sed etiam ratione propriæ turpitudinis quam immediatè habent. Hinc tamen non sequitur, hanc turpitudinem esse malitiam moralem formaliter: sufficit enim vt sit moralis obiectiuè vel materialiter.

Dices: Ergo prohibetur etiam in amente, quia habet illam malitiam obiectiuam & materialem in illo.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia id, quod prohibetur, non est præcisè actus simplex, sed complexum quiddam: scilicet, talem actum externum fieri ab homine ratione vteute: hoc enim est adæquatum obiectum prohibitionis. Ipsum autem fieri ab amente, non prohibetur; non quod ibi non habeat suam malitiam: sed quia operans non est capax prohibitionis.

Dices Secundo, Furari non est malum, quia velle furari malum est; sed contrâ, velle furari est malum, quia furari est malum; ergo actus exterior secundum se habet malitiam moralem.

Respondeo, Hinc tantum sequi, actum exteriorum secundum se esse malum obiectiuè & materia-

liter in genere moris. Nam furari, non est malum formaliter in genere moris, nisi quia velle furari est malum: Ideo enim actus ille externus reddit hominè vituperio & pœna dignum, quia voluntas à qua procedit, talis est. Simile est in actu cognitionis & obiecti: Cognitio enim est vera, quia obiectum est verum; & tamen obiectum non est per se verum, nisi fundamentaliter; formaliter autem dicitur verum à cognitione cui subest. Pari modo voluntas furandi est mala, quia furtum externum est malum, & tamen furtum externum non est per se malum nisi fundamentaliter: formaliter autem dicitur malum à voluntate cui subest.

ARTICVLVS II.

Virum tota bonitas & malitia actus exterioris pendeat ex voluntate?

Prima Conclusio, Tota bonitas quam actus exterior habet ex fine, ad quem destinatur, pendet ex intentione voluntatis. Patet ex art. 1.

Secunda Conclusio, Tota bonitas quam actus exterior habet ex obiecto & circumstantijs, pendet ex ratione, & per rationem deriuatur in actum voluntatis.

Notandum, Bonitatem actus exterioris, quam habet ex obiecto & circumstantijs, v. g. bonitatè eleëmofynæ dici pendere à ratione, quia tantum à ratione pendet, ita vt non ab alio aliquo actu deriuetur: tantum enim consistit in conformitate cum ratione, & mediante ratione deriuatur in actum voluntatis. Dare enim eleëmofynam bonum est, quia immediatè conforme est rectæ rationi. Et hanc conformitatem non accipit ab alio aliquo actu. Quâuis quod hæc bonitas, fiat bonitas moralis, formaliter habeat ab actu voluntatis.

ARTICVLVS III.

Virum bonitas & malitia sit eadè actus exterioris & interioris?

Prima Conclusio, Quando actus exterior solum est bonus vel malus ex fine, tunc est eadè numero bonitas & malitia actus interioris & exterioris. Vt, si facias iter, vt des eleëmofynam. Ratio est, Quia tunc actus exterior secundum se est indifferens: vnde non habet vllam bonitatem vel malitiam, nisi ex intentione voluntatis.

Secunda Conclusio, Quando actus exterior secundum se est bonus vel malus; tunc est alia bonitas & malitia in actu interno ex fine, alia in actu externo secundum se considerato: Vt, si des eleëmofynam propter Deum. Actus enim interior est affectus charitatis in Deum: exterior verò secundum se est actus misericordiæ in proximum.

Tertia Conclusio, Semper tamen bonitas & malitia voluntatis quam habet ex fine, redundat in actum externum. Similiter bonitas & malitia quam actus exterior habet secundum se, redundat in voluntatem.

12

13

14  
1. Obiectio,

Solutio.

Quomodo actus externi prohibentur.

2. Obiectio.

Solutio.

15

Quo modo bonitas actus exterioris quâ habet ex obiecto, pendet tantum à ratione.

16

Si actus exterior sit solum bonus vel malus ex fine.

Si talis sit ex se.